



Fernando Retana

Libro 6
DOC 3

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

COETUS A STUDIIS " DE LAICIS "

I^o: sessio
(28-nov. - 3 dec. 1966)





PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

COETUS STUDII "DE LAICIS"

(Conventus habiti dietus 28 novembris - 3 decembris anni 1966)

Diebus 28 novembris ad 3 decembris anni 1966, habitae sunt in Aula huius Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo sessiones studii Coetus Consultorum "De laicis", pro quibus sequens quaestio pertractanda proposita erat: quaenam in Codicem sint introducenda de definitione laicorum, de iuribus et officiis laicorum in Ecclesia, de activitate eorum in Ecclesia (nondum tamen posita fuit quaestio de associationibus).

His conventibus interfuerunt Exc.mus Lokuang, Episcopus Tainanensis; Exc.mus Dammert Bellido, Episcopus Cajamarcensis; Exc.mus Sarmiento Peralta, Episcopus Ocaniensis; Ill.mus A. Glorieux; Rev.mus A. del Portillo; Rev.mus Retamal; Ill.mus W. Onclin, Commissaris Secretarius adiunctus, qui munere moderatoris fungebatur, atque Rev.mus I. Herranz, Adiutor a Studiis. Aberant, quia legitime impediti, sequentes Consultores: Exc.mus Enrique y Tarancón, Archiepiscopus Ovetensis; Exc.mus Civardi, Episcopus tit. Thespiensis et Ill.mus G. Philips.

Relationem de quaestionibus propositis paravit Rev.mus del Portillo, et vota Secretariae mandaverunt Exc.mi Enrique y Tarancón, Lokuang, Dammert Bellido et Sarmiento Peralta; Ill.mi Philips et Glorieux atque Rev.mus Retamal. Omnia haec a Secretaria Commissionis studio uniuscuiusque Consultoris submissa fuerant ante diem 28 novembris.

Novem sessiones habitae sunt, in quibus de sequentibus actum est:

I. QUAESTIONES PRAELIMINARES

Labores introduxit Ill.mus Onclin, declarans peculiare momentum quod, pro exsecutione laboris huic Coetui commissi, habet attenta consideratio omnium eorum quae Concilium Vaticanum II de laicis statuit, praesertim in Const. dogm. Lumen gentium, Cap. IV, in Const. past. Gaudium et spes atque in Decr. Apostolicam actuositatem. Cuncta haec a Concilio tradita legislatori nunc permittent ut lacunas impleteat quae, propter rationes historicas et ecclesiologicas, in Codice nunc vigenti inveniuntur relate ad figuram iuridicam laici in Ecclesia.

Apta vero exsecutio huius laboris postulare videtur ut duae quaestiones praeviae considerentur, quarum mentionem iam aliqui Consultores in scriptis fecerunt, nempe: 1) an expedit ut statutum iuridicum omnium christifidelium in Codice declaretur; 2) an in legislatione canonica agendum etiam sit de catechumenis aliisque non baptizatis. Praesertim prima quaestio momentum habet ad bene determinandam figuram specificam laici, quia theologice verba fidelis et laicus non eodem sensu pollent, quae distinctio et a iure servanda est propter evidentes rationes praecisionis doctrinalis et terminologicae.

a) De iuribus et obligationibus omnium christifidelium

Animadvertisit Ill.mus Onclin hanc quaestionem iam a Secretaria propositam esse Consilio Coordinationis, in sessione habita die 21 elapsi mensis octobris, Consiliumque sanxisse convenientiam ut hoc statutum iuridicum fundamentale omnium baptizatorum conficeretur. Hoc necessarium existimat, non solum ob rationes systematicae et technicae iuridicae, verum etiam quia expedit ut in Codice recipiat doctrina Constitutionis dogm. Lumen gentium circa fundamentalem unitatem atque aequalitatem omnium membrorum Populi Dei, quae quidem unitas et aequalitas (cfr. Cap. II Constitutionis) praecedunt successivae diversitati ministeriorum (cfr. ibid. Cap. III, IV et V).

Ill.mus Glorieux manifestat se de hoc gaudere, quia haec etiam fuit opinio Commissionis post-conciliaris "De laicis et de apostola tu laicorum", scilicet ut etiam in iure apte distinguatur inter conditionem quae omnibus membris Populi Dei qua talibus communis est et condicionem laicorum propriam.

Rev.mus del Portillo adiungit hanc determinationem statuti iuridici omnium christifidelium tria praecipua commoda secum laturam esse: a) clare exprimet dignitatem christianam, sicut et dignitatem humanam, fontem esse iurium et officiorum fundamentalium omnium christianorum, in ordine ad communem vocationem ad sanctitatem et ad communem participationem in unica missione Ecclesiae; b) removebit suspicionem et criticen -haud prorsus fundamento carentes- adversus nunc vigens ius canonicum, quod sensu nimis hierarcologico imbutum apparet, quia non satis prae oculis habuit Ecclesiam -quae est quidem communitas hierarchica- prius esse communitatem quam hierarchicam; Ecclesia est communitas constans personis iura subiectiva fundamentalia habentibus, in iure naturali et divino positivo innixa, quae et omnibus agnoscenda et a Hierarchia tuenda sunt; c) praebebit basim iuridicam communem, quae faciliorem reddet ulteriorem determinationem illius quod specifice pertinet ad diversas species personarum in Ecclesia.

Rev.mus Retamal in mentem revocat hanc aequalitatem fundamentalem omnium fidelium quoad dignitatem et actionem nullo modo adversari existentiae differentiationis functionalis (ideoque agnitioni ministerii hierarchici clericorum). Haec vero fundamentalis aequalitas simul manifestat existentiam alicuius sphaerae personalis autonomiae -scilicet libertatis et responsabilitatis personalis-, quae favet ordinatae determinationi ambitus legitimi exercitii potestatis iurisdictionis.

His dictis ab Ill.mis Onclin et Glorieux atque a Rev.mis del Portillo et Retamal ceteri Consultores assentunt. Quamobrem Exc. mus Lokuang -eo quod omnes concordant circa opportunitatem conficiendi statutum christifidelium- proponit ut unusquisque Consultor, dum laicorum iura et officia specifica perpenduntur, elenchum conficiat

ubi recenseatur quae normae ad fideles in genere quae vero solummodo ad laicos pertinere debeant. Hoc modo ait Ill. mus Onclin, qui his dictis assentit- in fine adunationum huius sessionis nostri Coetus, praeter schema canonum de laicis in concreto haberi etiam poterunt quaedam adumbrata lineamenta pro statuto iuridico omnium christifidelium. Elaboratio tamen magis particularis huius statuti pertractanda erit in sessione nostri Coetus posthac celebranda.

b) An in Codice agendum sit de catechumenis aliisque non baptizatis

Asserit Ill. mus Onclin hanc quaestionem difficillimam esse, quia secum fert problema, sat disceptatum inter canonistas, circa notionem personae physicae in iure canonico. In can. 87 dicitur: "Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona, cum omnibus christianorum iuribus et officiis". Solummodo baptismus aquae, scilicet plena incorporatio Ecclesiae, personae confert capacitatem etiam plenam eveniendi subiectum iurium et obligationum coram Iure canonico. Significatne hoc ius canonicum non baptizatis denegare condicionem iuridicam personae? Possibile est -eo quod omnes homines ad Ecclesiam vocantur- ut ius canonicum aliquam formam capacitatis iuridicae pro nondum baptizatis agnoscat?

Rev. mus del Portillo, sese referens ad id quod scripsit in sua relatione (cfr. pp. 4-15) affirmative respondendum esse censem. Ecclesia est universale salutis sacramentum non solum quatenus baptizatos ad plenitudinem ducit, sed etiam quatenus omnes homines ad seipsam adducit. Haec notio theologica necessario ducere videtur ad considerationem, pari modo apertam et amplam, de relatione omnium hominum cum Ecclesia. Cohaerenter cum doctrina de Populo Dei itinerante ac radicaliter missionario, Const. Lumen gentium, n. 13, his verbis ostendit diversas relationes personarum ad Ecclesiam: "Ad hanc igitur catholicam Populi Dei unitatem ... omnes vocantur homines, ad eamque variis modis pertinent vel ordinantur sive fideles catholici, sive alii credentes in Christo, sive denique omnes universaliter homines, gratia Dei ad salutem vocati". Quapropter si Ius

Canonicum est complexus normarum divinarum et humanarum quae regunt relationes sociales activitatis ecclesialis, necesse est ut ipsum respondeat huic varietati situationum qua pollet vita intima Ecclesiae. Ubi adsit activitas ecclesialis, ibi et Ius Canonicum adesse debet, ad regendos aspectus dimensionem intersubiectivam habentes. Aliud est enim quod quis sit persona in Ecclesia (et habeat igitur omnia iura et officia christifidelium) aliud vero quod quis sit persona in Iure Canonico.

Exc.mus Lokuang et Rev.mus Retamal manifestant ius condendum aliquam personalitatem iuridicam saltem catechumenis agnoscere debere, licet, uti par est, talis capacitas identificari nequeat cum plena illa capacitate iurium et officiorum quam canon 87 solis baptizatis tribuit. Statuitur enim in Decr. Ad gentes, n. 14: "Status tandem iuridicus catechumenorum in novo Codice clare ponatur. Iam enim cum Ecclesia coniuncti sunt, iam de domo sunt Christi et non raro iam vitam agunt fidei, spei et caritatis".

Animadvertisit tamen Ill.mus Onclin non baptizatos, cum Ecclesiae subditi non sint, esse non posse subiectum obligationum iuridicarum coram Ecclesia: ideoque, saltem sensu stricto, neque subiectum iurium. Ipsis, ut plurimum, agnosci possent aliquae capacitates iuridicae, quae autem tales non sunt quae vera iura et officia secum ferre umquam valeant. Haec est saltem sententia a plerisque canonistis hactenus propugnata. Contingere quidem potest quod magnus progressus ecclesiologiae in Concilio Vaticano II obtentus eo ducat ut totum problema de ambitu Iuris Canonici iterum considerari debeat. Attamen haec est quaestio quae, ob peculiare eius momentum atque amplitudinem, pertractanda est a Consilio Coordinationis nostrae Commissionis. Proponit ergo Ill.mus Onclin ut haec quaestio submittatur Consilio Coordinationis, quae propositio ab omnibus Coetus Consultoribus approbatur.

II. DE LAICORUM NOTIONE

a) Definitio descriptiva proponitur

Animadvertisit Ill.mus Onclin laici definitionem duas possibilis formulationes admittere, si modo negativo procedatur: a) laicus est fidelis non clericus (hic est conceptus qui in Codice nunc vi genti invenitur); b) laicus est fidelis non clericus neque religiosus (nempe qui mancipatus non est divinis ministeriis per sacramentum Ordinis neque publicae professioni consiliorum evangelicorum per incorporationem alicui instituto religioso). Secunda haec sententia, innixa in distinctione statuum canonicorum (quorum duo sunt iuris divini, videlicet status clericalis et status laicalis; tertius vero est iuris ecclesiastici, nempe status religiosus), perfectius determinat figuram iuridicam laici; attamen est formula non sufficiens, quia continet solummodo elementa negativa. Ideo Ill.mus Onclin proponit ut -licet in iure omnes definitiones periculis scanteant- laici notio vel definitio descriptiva conficiatur, quae complectatur etiam id quod est specificum et positivum in figura laici.

Concordant omnes in eo quod, post doctrinam traditam a Concilio Vaticano II, talis definitio apparari potest, praesertim si prae oculis habeatur Const. dogm. Lumen gentium, n. 31 iam continere completam descriptionem laici, ubi recensetur tum distinctio a clericis et religiosis tum aspectus positivus (apostolatus specificus seu missio ecclesialis laicorum propria: "Laicorum est, ex vocazione propria, res temporales gerendo et secundum Deum ordinando, Regnum Dei quaerere").

Ill.mus Glorieux, qui, qua Secretarius Commissionis Conciliaris "De laicorum apostolatu", partem habuit -una cum Ill.mo Philips, Commissionis theologicae Secretario- in laboribus Commissionis mixtae quae hanc laici definitionem apparavit, explanat criterium adhibatum pro illo textu redigendo fuisse ut definitio descriptiva conferetur quae, initium habens in elemento generico et communi cum ceteris fidelibus -nempe in pertenentia ad Populum Dei-, declararet deinceps elementum specificum negativum (laicos non pertinere ad sta-

tum clericalem vel religiosum) necnon elementum specificum positivum (videlicet indolem saecularem eorum vocationis specificae: res temporales gerere ac sanctificare).

Exc.mi Lokuang, Dammert Bellido et Sarmiento Peralta manifestant convenientiam ut notio laici quae in Codice recipiatur tria illa elementa descriptiva contineat, ut sit vere practica et praecisa. Etenim unumquodque ex his tribus elementis suum momentum iuridicum habet, quia: a) elementum iuridicum -seu pertenentia ad Populum Dei propter baptismum- significat laicos, sicut et clericos atque religiosos, omnibus christifidelium iuribus atque officiis praeditos esse; b) contra vero, elementa specifica -tum negativum tum positivum- necessaria basim praebent ad determinandum complexum iurium, officiorum atque facultatum quae laicis tribuendae sunt in ordine ad adimpletionem eorum specificae missionis, quae sane differt a missione clericorum ac religiosorum.

Rev.mus del Portillo et Rev.mus Retamal adiungunt hoc in sensu necessarium esse ut clare pateat indoles saecularis qua pollet condicio laici propria. Haec saecularitas pertinens ad condicionem et specificum munus apostolicum laici -consistens in sanctificatione realitatum temporalium- dicit ad distinguenda iura quibus laicus absolute indiget ut talem missionem specificam bene adimplere valeat (apta formatio doctrinalis et cura pastoralis, iusta libertas opinionis et actionis, spiritualitas specifica, etc.) ab illis facultatibus vel capacitatibus iuridicis quae necessariae non sunt pro adimpletione ordinarii muneris apostolici laicorum, sed solummodo ad exsequenda munera characteris extraordinarii vel suppletorii (cuiusmodi sunt praedicatio, administratio nonnullorum sacramentorum, etc.). His assentiunt Exc.mus Sarmiento Peralta et Rev.mus Herranz, animadvertentes differentiam existentem -quam quidem et Concilium Vaticanum II proclamavit- inter ministerium clerici proprium atque munus apostolicum laici. Tum ministerium clerici tum munus apostolicum laici ad mundi sanctificationem tendunt, sed clericus id ordinarie efficit per sacra ministeria, quibus mancipatus est -scilicet per praedicationem, sacramentorum administrationem et directionem

pastoralem-, dum laicus id ipsum generatim agit ab intra, per christianam ordinationem laborum atque realitatum saecularium in quibus veluti immersus vitam agit.

Demum, cum absit Ill.mus Philips, qui partem tam activam habuit in elaboratione doctrinae conciliaris circa laicatum, Ill.mus Onclin manifestat convenientiam publice legendi considerationes quas ipse Ill.mus Philips facit in suo voto circa diversa elementa descriptiva figurae laici in Ecclesia. Omnes quidem assentient et legitur textus, qui ita sonat:

"De DEFINITIONE laicorum notatur:

a) Si propter rationes practicas adhiberi debet triplex categoria personarum in Ecclesia (clericu*m*, laici, religiosi), sedulo advertatur distinctionem inter clerum (hierarchiam) et laicatum, et distinctionem inter fideles in genere ex una parte et religiosos ex altera parte, non fundari in eodem plano. Unde habemus bis duos terminos comparationis. Iamvero 2 x 2 non facit 3 sed 4. Prima distinctio nititur in divina institutione hierarchica et involvit potestatem quae per sacramentum Ordinis communicatur; altera autem distinctio nititur in sanctione quam Ecclesiae Hierarchia concedit quibusdam fidelibus in "statu" peculiari viventibus.

Unde sequitur, ut dictum est, quod non existunt tres categoriae in eodem plano iuxtapositae. Tum clericu*m* tum laici in "religionem" intrare possunt, quae ab Ecclesia officialiter agnoscitur.

b) Unde ubi de definitione laicorum agitur, notandum est elementum genericum esse conditionem hominum baptizatorum, quorum est incorporatio in Corpus Christi et Populum Dei, participatio munera sacerdotalis, prophetici et regalis Christi et missionis totius Populi christiani in Ecclesia et in mundo.

Specificum elementum positivum ita enuntiatur quod laicorum est, ex vocatione propria, res temporales gerendo et se

cundum Deum ordinando, regnum Dei quaerere. Quae indoles "saecularis" in sqq. eiusdem paragraphi latius describitur. Dicitur autem "Laicorum est..." ne casus exceptionales vel suppletivi excludantur.

Specificum autem elementum insuper negative restringi debet, quia non agitur de membris ordinis sacri. nec status religiosi ab Ecclesia sanciti. Religiosi autem ab aliis distinguuntur, non proprie quia ab aliis separantur, sed quia per specialem statum et modum vivendi Deo totaliter consecrantur.

NOTA. Addi posset quod ad Auctoritatem Ecclesiae pertinet statuere quid de Institutis Saecularibus sit faciendum. Laici impediri non possunt quin privata vota pronuntient, ad apostolatum etiam pleno tempore sese dicent, cum vel sine virginitate, spiritualitatem propriam exerceant, quin eo ipso ad statum religiosum transeant."

Postquam hoc votum Ill.mi Philips lectum est, Ill.mus Onclin sequentia commentatur: a) quoad primam partem, notandum est novum Codicem acturum quoque esse de fidelibus in genere (seu de iuribus et officiis omnium christifidelium) antequam agat de duplice categoria personarum (nempe de clericis et laicis) quae ex divina institutione sunt in Ecclesia, necnon de illis fidelibus qui, iure ecclesiastico, in statu particulari vivunt (religiosi); b) quoad alteram partem -et praesertim etiam habitis iis quae a ceteris membris nostri Coetus dicta sunt-, necessarium videtur ut definitio descriptiva laici, quae completa esse debet, simul contineat tria elementa enunciata.

Provisorie igitur ab Ill.mo Onclin haec definitio proponitur ut basis ulterioris disceptationis:

"In canonibus qui sequuntur nomine laicorum intelleguntur omnes christifideles qui non sunt, sacro ordine recepto, ad ministerium sacrum deputati, nec in instituto ab Ecclesia sancito statum religiosum assumunt, christifideles scilicet qui, ad Populum Dei cum pertineant, per se vocantur ut suo modo cum Hierarchia in aedificationem Corporis Christi cooperentur, praesertim in rebus temporaliter gerendis Christi testimonium mundo reddentes."

IV. Catecumenos y administración eclesiástica

En el mundo actual existe una tendencia generalizada a considerar la administración eclesiástica como una actividad de tipo civil, y no religiosa, y a tratarla de acuerdo con las leyes y principios que rigen la administración civil.

Como resultado de esta tendencia se han establecido en la Iglesia católica numerosas "sociedades" que tienen la finalidad de facilitar las relaciones eclesiásticas. Tales sociedades representan una especie de "sociedad menor" que agrupa los intereses de las distintas autoridades eclesiásticas en un mismo ambiente, y que pretende así facilitar las relaciones con la administración civil, que muy a menudo ejerce una cierta influencia en el desarrollo de las relaciones personales entre el clero, laicos y administración civil.

PATRIMONIO UC

se mantienen a dos costos:

apartamentos Aless. I -

5. Consilio Combinacionis : - capacitate imitabili non legitimi agniti -
- ambitus legislationis canonicae -
- rebus "lucis" et "lecalis" ab libenter constante ^{in obice} in modo sic
alts. II

34- brevis "De Nomis generalibus" - De responso ^{ad restrictate} compiendo petitionibus.

45- Magisterio eccl. - De vocationibus sacerdotialibus fondatis -

48- De Legi Fundamentalii - Statutum iuricium cathercamenorum.

b) Definitio in disceptatione expolitur

Postquam omnia membra Coetus per congruum tempus formulam propositam considerare potuerunt, adstantes ab Ill.mo Onclin invitantur ut suas quisque animadversiones exponat.

Ipse Ill.mus Onclin proponit -eiusque propositio accipitur- ut loco "cooperatio cum Hierarchia" adhibetur expressio "debita cum sacris Pastoribus relatione servata". Haec enim expressio aptior videtur, quia laici habent munus apostolicum proprium (propriam nempe participationem in missione Ecclesiae), quod perficere non debent sine relatione cum Hierarchia, quod vero omnino differt a munere magisterii et gubernii ad sacros Pastores pertinente. Alia ex parte, expressio "debita cum sacris Pastoribus relatione servata" magis ampla est, quia complectitur omnes diversas possibles formas apostolatus laicorum: a formis magis ordinariis, individualibus vel associatis, quae requirunt solummodo debitum obsequium erga Magisterii doctrinam, usque ad illas formas quae secum ferunt directam participationem vel cooperationem in functionibus sanctorum Pastorum propriis, et ideo requirunt existentiam mandati hierarchici sive delegationis expressae ex parte Auctoritatis ecclesiasticae.

Proponit etiam Ill.mus Onclin ut expungantur verba "ad Populum Dei cum pertineant", quia haec idea iam implicite continetur sub verbo "christifideles". Praeterea, ob oculos habendum videtur hos canones de laicis venire post tractationem status iuridici christifidelium, ubi iam clare exponetur cunctos christifideles vocari ad propriam partem exercendam in unica missione Ecclesiae. Etiam haec emendatio ab omnibus accipitur.

Postulat Exc.mus Lokuang ut dicatur: "per se vocantur ad apostolatum in ordine temporali exercendum", ita ut aptius indicetur character eminenter apostolicus vocationis laici et aspectus specificus huius muneris apostolici. Animadversio recipitur, sed sub hac formula, ab Ill.mo Onclin proposita: "per se vocantur ut, debita cum sacris Pastoribus relatione servata, apostolatum in saeculo exercant". Haec enim formula -uti manifestant Ill.mus Glorieux atque

Rev.mi del Portillo et Retamal- aptior est quia, servata indole saeculari -quae est peculiaris character apostolatus laicalis, complectitur diversas formas concretas talem apostolatum exercendi (et iam actionem directe tendentem ad salutem animarum), dum apte introducit specificationem magis concretam quae postea fit: "praesertim in rebus temporalibus gerendis Christi testimonium reddentes".

Ill.mus Glorieux proponit ut mutetur ordo definitionis, ita ut prius veniat pars positiva -facta insistentia non solum circa id quod laicus agit, sed etiam circa id quod laicus est-, deinde vero pars negativa, quae laicos a clericis et religiosis distinguit. Respondet Ill.mus Onclin definitionem re vera incipere per enuntiationem elementi positivi et generici laici: eius nempe condicionis christifidelis et, una cum ipsa, eius participationis in sacerdotio communi Christi.

Ill.mus Glorieux et Rev.mus del Portillo suggerunt ut, in initio canonis, loco "in canonibus qui sequuntur" dicatur "in canonibus huius Codicis", quia: a) in toto Codice uniformis terminologia adhiberi debet ad vitandas confusiones (uti hodie quandoque accidit); b) agitur de fidelibus qui sunt in statu laicali, de fidelibus scilicet quorum condicio personalis, baptismate acquisita, non est mutata ob assumptionem in statum clericalem (sacramento Ordinis) neque in statum religiosum (professione publica consiliorum evangelicorum ab Ecclesia recepta). Propositio unanimiter accipitur, etiam ob rationes theologicas, quia status religiosus "suos asseclas a curis terrenis magis liberat" (Const. dogm. Lumen gentium, n. 44), ideoque omnes religiosi "mundo renuntiantes" (Decr. Perfectae caritatis, n. 5) indolem saecularem amittunt, quae laicorum "propria et peculiari est" (Const. dogm. Lumen gentium, n. 31).

Post receptam hanc emendationem, Ill.mus Onclin proponit ut Consilio Coordinationis nostrae Commissionis -cuius est cura circa uniformitatem in terminologia- sequens votum transmittatur:

"Quia novus Codex Iuris Canonici tractabit, modo quidem longiori quam praecedens, de laicis, secundum mentem Constitutionis "Lumen gentium", n. 31 et Decreti "Apostolicam actuositatem"; insuper quia

valde desideratur ut novus Codex adhibeat vocabularium in quo evite-
tur qualiscumque confusio,

Subcommisso "De laicis" instanter petit ut vocabula "laicus" et
"laicalis" non adhibeantur in alio sensu."

Hic textus, Consilio Coordinationis mittendus, unanimiter approbatur. Deinceps vero examen canonis prosequitur.

Proponit Ill.mus Glorieux, eiusque propositio accipitur, ut, post verbum "christifideles" addatur: "sive viri sive mulieres", ita enim, per hanc explicitam referentiam in definitione factam, intelligitur mulieribus quoque applicatum iri omnia iura et officia laicorum, quae in sequentibus canonibus describentur.

Rev.mus Retamal obiectionem movet contra verba "qui non sunt, ordine sacro recepto, ad ministerium sacrum deputati". Etenim, ait Rev.mus, si laicus ad episcopatum vel ad supremum pontificatum assumatur, iam a momento acceptationis potestate sacra gaudet, immo et plenitudinem iurisdictionis, si de Summo Pontificatu agatur. Respondet tamen Ill.mus Onclin hoc in casu Ordinem sacrum necessario recipiendum esse, quia per Ordinem sacrum acquiritur deputatio ad ministeria sacra, etiam ad iurisdictionem.

Rev.mus Herranz suggerit ut loco verborum "per se vocantur" dicatur "a Deo vocantur", ut clare appareat laicos non a Hierarchia, sed ab ipso Christo, per baptismum et confirmationem, vocari ad propriam partem assumendam in missione totius Ecclesiae (cfr. Const. Lumen gentium, n. 33; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 2). Proponeit etiam Rev.mus Herranz ut loco verborum "ad ministerium sacrum" dicatur "ad ministerium divinum", quia: a) sic vitatur repetitio: "sacro Ordine... ministerium sacrum"; b) haec sunt verba quae in canonе 108 adhibentur ad clericos definiendos ("divinis ministeriis"). Duae hae propositiones recipiuntur.

Demum Ill.mus Onclin proponit ut, claritatis causa, post verbum "assumpserunt" ponatur punctum, et textus ita prosequatur: "Qui christifideles...". Etiam haec propositio recipitur.

Disceptatione ita expleta, Ill.mus Onclin legit integrum canonem

ubi figura laici describitur. Textus ab adstantibus unanimiter probatus sequens est:

"In canonibus huius Codicis nomine laicorum intelliguntur omnes christifideles qui non sunt, ordine sacro recepto, ad ministerium divinum deputati, nec in instituto ab Ecclesia sancito statum religiosum assumpserunt. Qui christifideles, sive viri sive mulieres, a Deo vocantur ut suo modo, etiam eisdem canonibus determinando, debita cum sacris Pastoribus relatione servata, apostolatum in saeculo exerceant, speciatim in rebus temporalibus gerendis Christi testimoniū reddentes."

III. DE IURIBUS ET OBLIGATIONIBUS LAICORUM

Suggerit Ill.mus Onclin ut, pro studio diversorum iurium atque officiarum quae ad laicos pertinent, tamquam basis adhibeantur proposi~~T~~tiones factae a Rev.mo del Portillo in conclusionibus suae relationis (p. 148 et ss.), qua in re omnes concordant. Ordo vero canonum qui nunc redigantur opportunius statui poterit postquam hoc primum stadium laboris expletum fuerit, scilicet postquam redacti sint canones qui constituent statutum iuridicum laicorum in Ecclesia.

a) De oboedientia erga sacros Pastores

Ill.mus Glorieux manifestat se concordare in eo quod in aliquo canone hoc laicorum officium exponatur, quamquam submissio erga Hierarchiam non ad solos laicos, sed ad omnes fideles pertinet, pro diverso quidem statu ac condicione uniuscuiusque. Respondet Ill.mus Onclin heic agi de obligatione generali accipiendo id quod Hierarchia docet vel statuit intra ambitum exercitii suae auctoritatis. Rev.mus del Portillo adiungit convenientiam determinandi modum quo talis oboedientia praestari debet: non debet enim esse submissio caeca et passiva, sed vere christiana, nempe responsabilis (ut intelligatur eius necessitas in societate ecclesiastica, de cuius augmento et bono communi

omnes participes se sentire debent) et voluntaria (secum ferens sin-
ceram adhaesionem iis qui nomine Christi Capitis Ecclesiam gubernant). His assentit, inter alips, Rev.mus Retamal, qui manifestat hoc modo
melius intelligi harmoniam vigentem inter acquisitionem conscientiae,
ex parte laicorum, sua participationis in unica missione Ecclesiae
et submissionem erga Hierarchiam in iis quae ad ipsam pertinent. Se-
quens ergo textus proponitur et approbatur, ad mentem Cons. Lumen
gentium, n. 37 et Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 9 in fine:

Canon

Laici, sicut omnes christifideles, illa quae sacri Pastores tam-
quam magistri et rectores in Ecclesia docent et statuunt, christiana
obedientia responsabili et voluntaria sectari tenentur.

b) De iusta libertate in rebus civitatis terrenae

Rev.mus del Portillo in mentem revocat quod, in confiendo
statuto iuridico laicorum, continenter prae oculis habenda est commen-
datio contenta in n. 36 Const. Lumen gentium, ne ex defectu perspe-
ctivae confusiones exoriantur. Legitur enim in Const.: "Propter ipsam
oeconomiam salutis fideles discant sedulo distinguere inter iura et
officia quae eis incumbunt, quatenus Ecclesiae aggregantur, et ea quae
eis competunt, ut sunt humanae societatis membra". Ius ergo hoc novo
in canone affirmandum non est quoddam ius laicorum relate ad auctori-
tatem civilem, sed relate ad ecclesiasticam auctoritatem: haec enim
observare debet libertatem quae -salvo utique debito obsequio erga
Magisterii doctrinam- competit fidelibus in rebus (politicis, profes-
sionalibus, oeconomicis, artisticis, etc.) civitatis terrenae. Hac
de causa, in n. 37 Const. Lumen gentium sequentia docentur: "Iustum
autem libertatem, quae omnibus in civitate terrestri competit, Pasto-
res observanter agnoscent".

Agitur enim, aiunt Rev.mi Glorieux, Retamal et Herranz, de iure
ad necessarium ambitum autonomiae personalis, sine quo laici apte ad
implere non poterunt suum proprium munus apostolicum gerendi res tem-

porales easque ab intra sanctificandi: ad hoc quidem omnino requiritur supradictus ambitus autonomiae personalis, nempe personalis libertatis et responsabilitatis. Apostolica enim actio laicorum in sinu ordinis temporalis duo simul requirit ut recte exerceatur: a) ex parte laicorum, obsequium erga Ecclesiae Magisterium, cuius est "docere et authentice interpretari principia moralia in rebus temporalibus sequenda" (Decr. Apostolicam actuositatem, n. 24); b) ex parte vero Hierarchiae, obsequium erga supradictam libertatem quae laicis in rebus temporalibus competit (cfr. Const. Lumen gentium, n. 37; Const. Gaudium et spes, n. 43; Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 9; etc.)

His omnibus perpensis, Ill.mus Onclin sequentem textum proponit:

Canon

Ius est laicis ut ipsis agnoscatur ea in rebus civitatis terre-nae libertas, quae omnibus competit, iuxta legem divinam ab Ecclesiae Magisterio declaratam.

Quamquam haec formula provisorie admittitur, quaedam tamen difficultates moventur: a) formula "quae omnibus competit" est aequivoca, quia potest intelligi "omnibus christifidelibus", quod verum non est, nam in iure canonico quaedam statuuntur limitationes huius libertatis pro clericis et religiosis, quae quidem pro laicis non vigent; melius ergo est ut dicatur "quae laicis competit" (Exc.mus Sarmiento Peralta, Rev.mi del Portillo, Glorieux, Retamal et Herranz) vel "quae civibus competit" (Exc.mus Lokuang). Ill.mus Onclin proponit ut dicatur "quae per se omnibus competit", nam limitationes quae pro clericis vigent a iure positivo oriuntur: haec tamen propositio maioritati non satis facit, quia formula adhuc obscura maneret; b) loco "ut ipsis agnosca tur" aptius dicendum videtur "ut ipsis a sacris Pastoribus agnoscatur", quo clarius pateat heic agi in concreto de iure laicorum relate ad Hierarchiam, non erga civilem auctoritatem: de iuribus enim laicorum relate ad civilem auctoritatem nihil, uti patet, dicendum est in iure canonico (Exc.mi Dammert Bellido et Sarmiento Peralta; Rev.mi del Portillo, Retamal et Herranz).

c) De iure ad bona spiritualia

Circa hoc ius -quod in Codice nunc vigenti recipitur in canone 682, ubi exclusive ad laicos refertur- animadvertisit Ill. mus Onclin ipsum re vera ad universos fideles pertinere, quaecumque sint eorum status atque specifica missio ecclesialis: hoc p[ro]ae oculis habendum videtur in redactione canonis.

Rev. mus del Portillo -referentiam faciens ad modum quo hoc ius recipitur in n. 37 Const. Lumen gentium, qui quidem modus amplior est quam formula canonis 682- animadvertisit relationem Hierarchiam inter et fideles in Ecclesia exsistere eo quod Hierarchia recipit ministerium docendi, sanctificandi et regendi fideles: quapropter primarium ac magis fundamentale officium Hierarchiae necnon primarium ac magis fundamentale fidelium ius habent ut obiectum verbum Dei et sacramenta. Ubi Concilium Vaticanum II dicit Ecclesiam coadunari et exstrui per verbum Dei et sacramenta, ibi Concilium ipsum nobis manifestat ius recipiendi verbum Dei et sacramenta constituere ius fundamente publicum -nempe ius subjectivum publicum- fidelium in genere, proindeque et laicorum. Hoc in sensu -inter alias consequentias quas debita consideratio huius iuris secum ferre debet in Codicis revisione-, necessarium videtur ut disciplina de sacramentis cum quadam amplitudine reformatur, non tantum ad innovandas regulas concretas administrationis sacramentorum quantum ad clare recipienda et tuenda fidelium iura. Etenim hodiernus Codex hoc ius recipit, licet modo aliquatenus restrictivo, sed de hoc iure fere nihil dicitur ubi de sacramentis agitur: re quidem vera Codex, ubi agit de sacramentorum administratione, ministri obligationes potius considerat ut obligationes ad officium pertinentes, quam ut authentica iura fidelium. Idem dici potest de verbi Dei praedicatione.

Ill. mus Onclin his assentit, memorans Sacra menta, sicut et Doctrinam Revelatam, esse bona spiritualia pertinentia non ad Hierarchiam quamvis ab ipsa custodiantur- sed ad totum Populum Dei, ideoque laicos, et in genere omnes fideles, ius in ea habere. Attamen quaestiones particulares quae ab hac realitate eruuntur quaeque afficiunt ipsum conceptum officii ecclesiastici necnon legislationem de sacramentorum administratio[n]e, etc. remittendae sunt ad tempus quo reco

gnitio istarum partium Codicis perficiatur. Hac in re, Exc.mus Sar miento Peralta, Ill.mus Glorieux et Rev.mus del Portillo, quibuscum omnes concordant, manifestant convenientiam ut haec criteria commun i centur aliis Coetibus studiorum. Illmus Onclin respondet huic deside rio satis factum iri et, ad mentem Const. Lumen gentium, n. 37, se quentem textum proponit, qui ab omnibus recipitur:

Canon

"Laici, sicut omnes christifideles, ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et Sacramentorum adiumenta a sacris ministris accipiendi iuxta sacrorum canonum praescripta."

d) De iuvamine praestando Ecclesiae operibus

Recolit Rev.mus del Portillo Concilium Vaticanum II super id insistere, quod Ecclesiae missio non in solam Hierarchiam, sed in laicos quoque recidit: ideo fideles, praesertim laici, responsabilitatem habent, quae primarie est officium morale, praebendi Ecclesiae bona temporalia necessaria, idque etiam ad vitandum ne dependentia oeconomica a potestate civili redundare possit in detrimentum libertatis qua ecclesiastica Hierarchia gaudere debet. Modalitas typica quam haec obligatio induit relate ad laicos configuratur ex eorum condicione plene saeculari et, in concreto, ex habituali laicorum insertione in relationes oeconomicas saeculares. Etenim proventus oeconomi ex hac positione provenientes esse debent non solum medium ad subveniendum necessitatibus et legitimis adspirationibus hominis atque civitatis terrenae, sed etiam fons sustentationis Ecclesiae et operum apostolicorum Hierarchiae et fidelium.

Ill.mus Onclin illud legit quod de hac obligatione invenitur in Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 20, praesertim relate ad honestam clericorum sustentationem. Si enim clericci divinis ministeriis mancipantur et ideo positi sunt in servitium laicorum, quibus necessaria bona spiritualia procurant, omnino patet ipsos laicos iustitiae obligatione teneri ut honestae clericorum sustentationi provideant. Haec

quidem obligatio -prosequitur Ill.mus Onclin- oeconomicum adiutorium praebendi tum clericis tum operibus apostolicis a Hierarchia promotis, fortiter in luce posita est in Congressu nuper habito in civitate Pittsburg (USA) sub moderamine Societatis Americanae Iuris Canonici.

Postulat Exc.mus Lokuang, cui assentit Ill.mus Glorieux, ut, in loquendo de honesta sustentatione, prae oculis quoque habeatur casus laicorum qui clericos adiuvant in muneribus ministerialibus. Hoc contingit praesertim in missionibus, ubi adsunt catechistae, etc. Ad abusus hac in re vitandos, Rev.mus Herranz necessarium existimat ut clare affirmetur heic agi de laicis qui clericos in eorum ministerio adiuvant. Absonum quid esset -et profecto signum mentalitatis non saecularis neque apostolicae- ut laici adsint qui remunerationem a Hierarchia obtinere praesumant eo quod sint moderatores associationum apostolatus laicalis.

His omnibus perpensis -et ad mentem Decr. Presbyterorum Ordinis, nn. 20 et 21, Decr. Ad gentes, n. 36, Decr. Apostolicam actuositatem, n. 36 et CIC, can. 1496- sequens textus proponitur et approbatur:

Canon

"§ 1. Laici sciant sua esse Ecclesiae opera, ideoque eadem precibus et sacrificiis, atque pro propria idoneitate inceptis quoque apostolicis sustineant.

§ 2. Officio tenentur, ratione habita uniuscuiusque facultatum status familiae, curandi ut Ecclesiae praesto sint ea quae ad sacramentum divinum, ad honestam clericorum aliorum ministrorum sustentacionem vel remunerationem et ad alios fines eidem proprios necessaria sunt media."

e) De obligatione et iure cognoscendi doctrinam christianam

Praemittit Ill.mus Onclin hac in re duos diversos aspectus prae oculis habendos esse. Alia ex parte, ius subiectivum laicorum recipiendi a sacris pastoribus necessariam doctrinam christianam, ut

exercere valeant missionem per baptismum receptam. Alia vero ex parte, facultas quae etiam laicis competit - si quidem id desiderent et necessaria capacitate intellectuali praediti sint- accedendi ad diversos gradus formationis in scientiis sacris, immo et ad munus professorum, si a Hierarchia licentiam obtinuerint.

Rev.mus del Portillo recolit id quod docet Const. Gaudium et spes, n. 62, ubi, post factam mentionem formationis theologicae clericorum, adiungitur: "Immo optandum ut plures laici congruam in disciplinis sacris institutionem adipiscantur, nec pauci inter eos haec studia, data opera, colant et altius producant." Hoc iam est realitas in vita Ecclesiae, et respondet non solum rationi doctrinali vel apostolicae, verum etiam considerationi quod ius discendi est ius quoddam nativum personae. Ad personam baptizatam quod attinet, exercitium huius iuris naturalis -relate ad cognitionem depositi Fidei- non solum debet protegi, verum etiam facilius reddi et regulari in diversis formis quibus exerceri potest.

Peculiaris tamen quaestio fit quoad ius laicorum docendi scientias sacras. Certo certius omnes concordant in eo quod ius docendi seu ius ad cognitionem transmittendam est ius naturale quod competit omnibus aliquid scientibus, vi naturae socialis hominis. At vero -ait Ill.mus Onclin- cum institutio in scientiis sacris pertineat ad ecclesiasticum Magisterium, ius docendi scientias sacras praeviam missionem canoniam requirit ut exerceri possit. Obiicit Rev.mus Herranz confundendum non esse Magisterium ecclesiasticum seu traditionem doctrinae christiana, cuius obiectum est expositio Depositi Fidei, cum scientiis sacris, quarum obiectum est solummodo expositio diversorum systematicum scientificorum quae rationaliter explanant veritates quas Magisterium docet. Praeterea, clare determinandum est quae scientiae, sensu proprio, vocari debeant scientiae sacrae, quia congruum non videatur affirmare archaeologiam christianam vel philosophiam scholasticam, etc. esse scientias "sacras", neque congruit ut earum traditio habeatur tamquam "ministerium sacrum". Respondet Ill.mus Onclin hoc in canonem descendendum non esse ad enumerationem disciplinarum quae "sacrae" considerari debeant et ad determinationem earum quae tales habendae

non sunt neque hic determinari posse characteres concretos missionis docendi, de quibus omnibus modo magis particulari agetur in aliis Codicis partibus.

His p^rae oculis habitis, sequens textus proponitur et approbatur:

Canon

"§ 1. Laici, quippe qui omnes ad incrementum Regni Christi in mundo cooperati debeant, ut doctrinam a Christo revelatam et ab Ecclesia declaratam et ipsi enuntiare atque, si opus sit, defendere valeant, obligatione tenentur et iure gaudent ad acquirendam eiusdem doctrinae cognitionem, propriae uniuscuiusque capacitati et condicioni aptatam. Quare curare debent ut cognitionem habeant doctrinae quae a Conciliis Oecumenicis, a Summis Pontificibus et a propriae Ecclesiae particularis pastoribus traditur.

- 4. etiam V.R. 15, 4.

§ 2. Facultate quoque gaudent ut, servatis a iure statutis, pleniorum illam in scientiis sacris acquirant cognitionem, quae in Ecclesiasticis Universitatibus facultatibusve aut in scholis scientiarum religiosarum traduntur, ibidem lectiones frequentantes et gradus academicos consequentes.

§ 3. Item, servatis praescriptis quoad idoneitatem requisitam statutis, habiles sunt qui missionem docendi scientias sacras a legitima auctoritate ecclesiastica recipient."

f) De laicorum iure optata sua et sententias declarandi

Manifestat Exc.mus Lokuang per pulchrum esse ut laici cum fiducia accedant ad sacros Pastores, sed hoc secum ferre grave onus pro Episcopis, si eis imponatur officium audiendi omnes laicos suae Ecclesiae particularis qui cum ipsis loqui desiderent. Obiiciunt tamen Exc.mus Dammert Bellido et Ill.mus Glorieux hoc ius laicorum sine ulla discriminatione agnosci in Const. Lumen gentium, n. 37. Respondet Exc.mus Lokuang hoc, potius quam ius, forte esse facultatem, et censem praeterea heic agi semper de necessitatibus et optatis characteris spiritualis, quia aliter ad Episcopum accedent ut ei manifestent alias necessitates et optata -ex. gr. commendationes- quibus Episcopus satis facere non poterit. Affirmat Rev.mus Retamal hanc quaestionem arctam relationem habere cum gradu maturitatis lai

corum et ideo pendere a formatione quam ipsi ab Episcopis recipient; quidquid sit tamen, neque in textu Concilii dicitur neque in canone dicendum est Episcopum per se omnes audire debere, neque ei imponi tur officium satis faciendi omnibus petitionibus. Concludit Ill.mus Onclin heic non agi de facultate, sed de vero iure, cuius exercitium logice a iure particulari regi debet: hoc autem non obstante, expedi re videtur ut in canone dicatur hic agi de necessitatibus et optatis praesertim spiritualibus.

Rev.mus del Portillo memorat facultatem "immo aliquando et officium" quod in eodem n. 37 Const. Lumen gentium laicis agnoscitur "suam sententiam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt declarandi". Evidens quidem est hierarchicam Ecclesiae constitutionem impedire quominus laici sese immisceant in Ecclesiae gubernatione, at vero affirmari nequit Hierarchiam esse infallibilem in decisionibus prudentialibus particularibus, neque dici valet laicos habere et manifestare non posse ullum iudicium personale de rebus quae Ecclesiae bonum respiciunt. Postulat Rev.mus Retamal ut, si id fieri potest, in eodem canone indicetur quandonam talis facultas desinit esse simplex facultas ut in officium convertatur. Respondet Ill.mus Onclin non posse omnia adiuncta in canone determinari. Quoad formam vero exercendi hanc facultatem, sufficere videtur ut addatur clausula "servatis modis a iure particulari statutis".

Disceptatione de hac re ita expleta, Ill.mus Onclin textum sequentem proponit, qui ab omnibus recipitur:

Canon

"Laici ius habent ut necessitates et optata sua, praesertim spiritualia, libere et fidenter sacris Pastoribus patefaciant, et insuper, pro scientia et competentia quibus pollut, facultatem, immo et quando officium, habent, ut sententiam suam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt debita cum reverentia ac prudentia iisdem Pastoribus declarant, servatis modis a iure particulari statutis."

g) Laicorum participatio in missione Ecclesiae

Sequens textus proponitur uti basis disceptationis:

"§ 1. Laici, quippe qui uti omnes christifideles ad apostola tum, i.e. ad participationem missionis salvificae Ecclesiae a Deo per baptismum deputentur, generali obligatione tenentur, sive singu li sive in associationibus coniuncti, adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et acci piatur; speciali vero adstringuntur officio curandi ut ad illos quo que perveniat quos ministri sacri adire non valent.

§ 2. Praeterea, habiles sunt qui vocentur ut diversis modis cum apostolatu Hierarchiae magis immediate cooperentur."

Exc.mus Sarmiento Peralta, Ill.mus Glorieux et Rev.mus del Portillo manifestant convenientiam clare distinguendi inter: a) generalem obligationem, qua laici, sicut ceteri omnes fideles, tenentur ad cooperandum in unica missione Ecclesiae; b) peculiarem obligationem, eorum vocationis laicalis propriam, sanctificandi ab intra ordinem temporalem (cfr. Const. Lumen gentium, n. 31); c) facultatem qua præ terea gaudent, vi cuius possunt cooperari in apostolatu Hierarchiae proprio, si ab ipsa Hierarchia vocentur. His omnes assentiunt, et ideo statuitur ut canon in tres paragraphos dividatur, ubi de tribus recensitis conceptibus successive agatur. Proponit insuper Ill.mus Onclin, et haec propositio accipitur, ut actualis paragraphus 2 fiat paragrafus 3 et nova introducatur paragraphus 2, cum sequenti textu:

"§ 2. Peculiari adstringuntur officio rerum temporalium ordinem spiritu evangelico imbuendi atque perficiendi."

Rev.mus del Portillo postulat ut ultima verba paragraphi 1 emendetur, ne dicatur "speciale officium" laicorum esse clericos impeditos substituere: hoc enim est tantummodo officium suppletorium, ideo que non proprium neque speciale. Animadversio accipitur et approbatur sequens textus emendatus in fine paragraphi 1 ponendus:

"... accipiatur; quae obligatio eo vel magis eos urget iis in adiunctis in quibus nonnisi per ipsos Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt."

Exc.mus Lokuang atque Rev.mi del Portillo et Retamal obiectionem movent contra verbum "magis" in paragrapho 3. Prae oculis enim habita introductione novae paragraphi 2 circa apostolatum specificum laicorum, conservatio verbi "magis" in paragrapho 3 significaret confusionem apostolatus Hierarchiae proprii cum sanctificatione ab intra ordinis temporalis, de qua in paragrapho 2. Obbicit Ill.mus Onclin expressionem "cooperatio magis immediata" inveniri in n. 33 Const. Lumen gentium. Respondent tamen tres citati Consultores terminum comparationis in textu conciliari non esse sanctificationem ab intra ordinis temporalis (uti contingeret si verbum "magis" in paragrapho 3 huius canonis retineretur), sed esse generalem obligationem exercendi apostolatum, qua obligatione omnes fideles adstringuntur (propterea in citato textu conciliari dicitur: "Praeter hunc apostolatum, qui ad omnes omnino christifideles spectat..."). Fit ergo suffragatio et omnes, uno excepto Ill.mo Onclin, approbant ut verbum "magis" e paragrapho 3 canonis expungatur.

Expleta disceptatione, legitur et approbatur textus qui ita sonat:

Canon

"§ 1. Laici, quippe qui uti omnes christifideles ad apostolatum, i. e. ad participationem missionis salvificae Ecclesiae a Deo per baptismum deputentur, generali obligatione tenentur, sive singuli sive in associationibus coniuncti, adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab omnibus hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur; quae obligatio eo vel magis eos urget iis in adiunctis in quibus nonnisi per ipsos Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt."

§ 2. Peculiari adstringuntur officio rerum temporalium ordinem spiritu evangelico imbuendi atque perficiendi.

§ 3. Praeterea, habiles sunt qui vocentur ut diversis modis cum apostolatu Hierarchiae immediate cooperentur."

h) Laicorum cooperatio cum sacris Pastoribus

Ad quaestionem introducendam, Ill. mus Onclin manifestat heic agi de cooperatione quam laici praebere possunt Hierarchiae, praesertim per functionem consilii et quandoque mediante directa gestione munerum ecclesiasticorum, ex. gr. in administratione bonorum Ecclesiae.

Quoad functionem consilii, Rev. mus del Portillo in mentem revo~~cat~~ cat laicos hac facultate consilium dandi gaudere in omnibus gradibus organizationis Ecclesiae, non exclusis Sanctae Sedis Dicasteriis (cfr. Decr. Christus Dominus, n. 10). Agitur vero, uti videtur, non de iure subiectivo in sensu stricto, sed de simplici facultate. Atamen ipsa existentia huius facultatis secum fert necessitatem ut in iure novo supprimatur quaelibet exclusio laicorum ab organis consultivis. Functio enim consilii innititur in virtute prudentiae (consilium est pars potentialis huius virtutis) et in peritia personali consiliarii; neutra tamen condicio est exclusiva clericorum vel religiosorum, quia agitur de virtute et de arte quae acquiruntur per studium, experientiam et sensum Ecclesiae, haud vero per ordinationem vel professionem religiosam.

Rev. mus Glorieux opportunum exsistimat ut, praeter canonem generali ubi haec facultas statuatur, aliis in Codicis locis determinetur quibus occasionibus laici a Hierarchia audiri debeant: adsunt enim quaestiones maiorem relationem habentes cum vita laicatus, pro quibus necessarium videtur ut indicetur obligatio sacrorum Pastorum audiendi opinionem et consilium laicorum probatorum antequam aliquam decisionem capiant, uti indicatur in Decr. Apostolicam actuositatem, n. 26.

Quoad facultatem laicorum ut adsumantur ad quaedam munera ecclesiastica, Rev. mus Retamal affirmat convenientiam bene distinguendi inter munus hieraticum et munus ecclesiasticum. Ex. gr. administratio bonorum ecclesiasticorum est munus quoddam ecclesiasticum, haud vero hieraticum, utpote quod in subiecto non requirat sacerdotium

ministeriale. Ad hanc distinctionem firmandam, Ill. mus Onclin memorat in Const. Lumen gentium, n. 33 adhiberi expressionem "munera ecclesiastica".

His omnibus perpensis, haec prima canonis redactio proponitur:

"§ 1. Laici, debita scientia, experientia et virtute qui praestant, habiles quoque sunt qui tanquam periti aut consiliarii ab Ecclesiae Pastoribus audiantur et partem habeant in diversis consiliis paroecialibus, dioecesanis, regionalibus, nationalibus et uniuersalibus, ad normam iuris universalis aut particularis.

§ 2. Habilis etiam sunt ut, ad normam praescriptorum iuris, ad quaedam munera ecclesiastica, in finem spiritualem exercenda, a sacris Pastoribus adsumantur."

Haec formula admittitur, sed sequentes proponuntur atque approbantur emendationes: a) de parte habenda in consiliis melius est ut agatur in § 2, quia etiam hoc est munus ecclesiasticum (Ill. mus Onclin); b) in § 2 expungantur verba "in finem spiritualem exercenda", quia laici assumi possunt (immo et debent, quo liberius clerici in sacra ministeria incumbant) ad munera quae non sunt spiritualia: ex gr. ad administrationem bonorum (Rev. mus Herranz); c) latinitatis causa, in § 1, loco "virtute qui praestant" dicatur "virtute praestantes", et in eadem paragrapho deleatur verbum "quoque" (Ill. mus Onclin); d) in enumeratione diversorum consiliorum, mutetur ordo, ita ut consilia regionalia veniant post nationalia, quia conceptus regionis amplior esse potest quam natio (Rev. mus del Portillo).

Textus approbatus sic est:

§1. Laici, debita scientia, experientia et virtute praestantes, habiles sunt qui tamquam periti aut consiliarii ab Ecclesiae Pastoribus audiantur.

§ 2. Habilis etiam sunt ut ad quaedam munera ecclesiastica a sacris Pastoribus adsumantur, in specie ut in consiliis paroecialibus, dioecesanis, nationalibus, regionalibus aut universalibus partem habeant, ad normam iuris universalis aut particularis.

i) Laicorum libertas in inquisitione scientifica

Agitur, ait Rev.mus Relator, de iure quod Concilium Vaticanicum II omnibus fidelibus, etiam laicis, recognovit: "Ut vero munus suum exercere valeant, agnoscat fidelibus, sive clericis sive laicis, iusta libertas inquirendi, cogitandi et loquendi necnon mentem suam in humilitate et fortitudine aperiendi in iis in quibus peritia gaudent" (Const. Gaudium et spes, n. 62). Ut patet, sub verbis "libertas loquendi" venit etiam libertas scribendi, nam hoc sensu intelligenda sunt verba "mentem suam aperiendi".

In mentem revocant Exc.mus Dammert Bellido atque Rev.mus Reta mal de hoc iure agi quoque, inter alia documenta, in Decl. Dignitatis humanae, n. 11 et in eadem Const. Gaudium et spes, n. 43.

Postulat Ill.mus Glorieux ut in textu canonis dicatur hanc scientificam investigationem debita cum prudentia faciendam esse circa scientias sacras vel cum sacris connexas. Ex parte sua, Ill.mus Onclin asserit ipsam faciendam quoque esse servatis methodis ac principiis singularum disciplinarum. Expedire quoque existimat Ill.mus Onclin ut indicetur laicos cum sacris Pastoribus communicare debere conclusiones ad quas deveniant.

Textus ergo propositus et approbatus sequens est:

"Laici, sicuti omnes christifideles, qui sacris disciplinis studiis incumbunt, facultate gaudent, ut debita exhibita prudentia et propriis singularum disciplinarum principiis ac methodo servatis, de quaestionibus ad scientias sacras vel cum sacris connexas pertinentibus libere inquisitionem instituant, utque conclusiones ad quas deve- dunt cum sacris Pastoribus communicent."

Manifestat Rev.mus del Portillo se concordare cum maioritate adstantium quoad approbationem huius textus, sed sequentia animadverten da censere:

a) clausula finalis -"conclusiones ad quas deveniunt cum sacris Pastoribus communicent"-, sicut etiam alia verba huius canonis ("debita exhibita prudentia", etc.), intelligi possunt tamquam signum diffidentiae erga laicos;

b) Cum conclusiones de quibus hic agitur plerumque in scriptis proponantur, nempe in libris, articulis, etc., videri potest hunc canonem postulare censuram praeviam et specialem pro scriptis laicorum circa scientias sacras vel cum ipsis connexas, quod, ex una parte, necessarium non existimat, alia vero ex parte supponet discretionem relate ad clericos, pro quibus neque ius hodie vigens id exigit;

c) si vero conclusiones ore tenus exponantur -uti contingit ex. gr. quoad paelectiones in facultatibus universitariis habendas- difficilior erit adimpletio condicionis a canone statutae. His rationibus forte expedit ut in redactione definitiva huius canonis enuntietur simpliciter ius laicorum inquirendi et mentem suam apriendi, ac deinceps addatur clausula: "iuxta canones..." (nempe iuxta canones ubi colligantur normae quoad censuram praeviam, etc. quas oportet ut servent omnes fideles, cum clericis tum laici).

PATRIMONIO UC

k) Laicorum participatio in celebrationibus liturgicis

Exc.mus Lokuang manifestat convenientiam distinguendi in canonе duas diversas ideas: ex una parte, ius et officium laicorum, sicut et omnium fidelium, active participandi in Ecclesiae liturgia, quae re agit praesertim Const. Sacrosanctum Concilium; alia ex parte, possilitas -de qua, ex. gr., in Decr. Ad gentes, n. 17- ut, defientibus sacris ministris, aliqui laici a Hierarchia vocentur ad clericos supplendos in aliquibus sacris ministeriis, cuiusmodi sunt praedicatio doctrinae christianaе vel aliquorum Sacramentorum administratio: hoc, aiunt Exc.mi Lokuang et Dammert Bellido, multis in casibus necessarium est in territoriis missionum vel illis in locis ubi magna cleri penuria adest, uti contingit in America Latina.

Quoad secundam expositam considerationem, Rev.mus Herranz in mentem revocat talibus in casibus manifeste patere debere agi de functione suppletoria pro quibusdam sacris ministeriis, atque ideo, ad normam iuris generalis et particularis, necessariam fore missionem canonicam ad talia munera exercenda. Contra enim, duae consequentiae

sat negativae oriri possunt: anarchia in ordinatione sacrarum functionum Ecclesiae et progressiva "clericalizatio" laicorum, cum detrimento functionis ecclesialis eis propriae atque specificae, quae consistit in sanctificatione ab intra ordinis temporalis. Exc.mus Sarmiento Peralta atque Rev.mus Retamal his assentiunt, et memorant Const. Lumen gentium, n. 35, ubi clare asseritur hanc esse functionem suppletoriam, haud quidem propriam: "deficientibus sacris ministris".

His in disceptatione prolati, Ill.mus Onclin sequentem proponebat textum, qui ab adstantibus approbatur:

Canon

"§ 1. Ipsius baptismatis ratione, laici, sicut omnes christifides, officium et ius habent ut plene, conscientie et actuose in celebrazione liturgicis participant, etiam munerebus ministrantibus, lectoris, commentatoris, cantoris, aliisve certis ministeriis, ad normam iuris, fungentes.

§ 2. Ubi Ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat, possunt etiam, deficientibus sacris ministris, quaedam eorundem officia suppleri, videlicet doctrinam tradere, precibus praeesse, baptismum conferre atque Sacram Communionem distribuere, iuxta iuris universalis et particularis praescripta."

Ill.mus Glorieux forte expedire censet ut in textu mentio quoque fiat possibilitatis ut laici ministrent etiam quaedam sacramentalia, uti affirmatur in Const. Sacrosanctum Concilium, n. 79. Respondet vero Ill.mus Onclin hoc iam contineri implicite in § 1 canonis sub formula "aliisve certis ministeriis". cf. etiam A.b. 17:

1) De laicis speciali servitio Ecclesiae deditis

Postulat Ill.mus Glorieux ut in canone speciali agatur de laicis qui peculiari servitio Ecclesiae addicuntur, ex. gr. de aedibus, catechetis in territoriis missionum vel illis qui modo stabilis clericos supplent quoad determinatas functiones sacras. De his qui

dem mentio iam facta est in canone praecedenti, praesertim in § 2, sed forsitan expedit ut in canone speciali indicentur, licet generice, quaedam iura et officia quae eis competunt.

Ill. mus Onclin trra enumeranda esse censem: a) ius ad institutionem necessariam ut haec munera ecclesiastica competenter exerce
re valeant; b) obligatio probe et honeste adimplendi talia munera;
c) ius ad debitam remunerationem et ad praecaventiam atque ad assi
stentiam socialem, quas vocant.

Proponitur ergo et approbatur sequens textus:

Canon

"Laici, sive coelibes sive matrimonio iuncti qui, aut permanen
ter aut pro tempore, speciali Ecclesiae servitio addicuntur, obliga
tione tenentur ut aptam acquirant formationem ad munus suum debite
implendum requisitam, utque hoc munus conscientie, impense ac diligenter
adimpleant; ius habent ad honestam remunerationem eorum conditioni
aptatam, qua decenter, servatis quoque iuris civilis praescriptis,
necessitatibus propriis ac familiae providere valeant, itemque ius
ut sui praevidentiae ac praecaventiae sociali ac adsistentiae sani
tariae quam dicunt debite provideatur."

IV. DE STATUTO IURIDICO CHRISTIFIDELIUM

Uti iam dictum est (cf. pp. 2-4) omnes Consultores huius Coetus
conveniunt cum Consultoribus Consilii Coordinationis circa necessita
tem ut novus Codex Iuris Canonici exponat statutum iuridicum omnium
christifidelium antequam agat de iuribus atque obligationibus quae
singulis fidelium ordinibus competunt pro diversis eorum functionibus
ecclesialibus.

Licet concreta elaboratio canonum ubi hoc statutum iuridicum
fundamentale omnium fidelium exponatur relinquenda sit pro sessione
Coetus posthac habenda, Consultores iamnunc indicant quaedam iura
atque officia quae in recensitum statutum recensenda videntur, atten
tis documentis Concilii Vaticani II.

Iamnunc vero proponitur ut -attenta etiam peculiari condicione religiosorum, uti animadvertisit Ill. mus Onclin, utpote qui per professionem religiosam quorundam iurium exercitio renuntient et a quibusdam obligationibus eximantur- in primo canone huius partis haec vel similia dicantur:

Canon

"§ 1. Obligationes et iura quae in canonibus qui sequuntur statuuntur omnibus propria sunt christifidelibus, sive sint clerici si ve sint laici, nulla inter eos facta distinctione ratione stirpis, nationis, condicionis socialis vel sexus.

§ 2. Religiosi etiam iisdem subiiciuntur obligationibus iisdem que gaudent iuribus, nisi iuxta sacros canones aut proprias constitutiones quorundam iurium exercitio renuntiaverint aut ~~aliquatenus~~ ^{et implens} ~~quibus~~ obligationibus exempti sint." *[cum nota: intelligi quae nullum esse differentem, retine
spiritualis]*

In sequentibus vero canonibus, modo et ordine qui opportuniores videantur, hae obligationes atque iura pertractanda censemur:

1. Omnes fideles in Ecclesia vinculo fraternitatis invicem devinciuntur et observare debent aequalitatem quae inter eos omnes vigeat quoad dignitatem et actionem communem (cfr. Const. Lumen gentium, n. 32). *Orient Eccl. 3; P.O. 9. sent. 2: "fratres int. fratres"*

2. Ius ad media spiritualia necessaria ad vitam christianam plene ducendam, quia omnes fideles, ex baptimate recepto, ad perfectiōnem caritatis vocantur (cfr. Const. Lumen gentium, cap. V).

3. Ius ad propriam spiritualitatem exercendam iuxta Ecclesiae doctrinam. *cf. int. alia: Orient Eccl. 5*

4. Officium et ius adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum agnoscat et accipiatur (cfr. Decr. Apostolicam actuositatem, n. 3).

5. Ius ad apostolatum exercendum secundum proprium statum et condicionem personalem.

6. Officium agnoscendi universis hominibus iura omnia quae ex humana dignitate ac divina ad salutem vocatione derivantur (cfr. Decl. Dignitatis humanae, nn. 1 et 14; Const. Gaudium et spes).

N. oblate, 5.2.

utb

v.p. 27; 61.

7. Officium oboedientiae ad declarata et statuta Hierarchiae (cfr. Const. Lumen gentium, n. 37).

8. Officium tuendi ac defendendi, etiam per rectum usum iurium et capacitatum quibus in societate civili gaudent, iura Ecclesiae, et in specie ut Ecclesiae ius ad propriae missionis adimpletionem ab omnibus agnoscat (cfr. Decl. Dignitatis humanae, n. 14).

9. Officium subveniendi Ecclesiae ministrorum ac operum necessitatibus (cfr. Decr. Presbyterorum Ordinis, nn. 20 et 21; CIC, can. 1496). (cf. en. 1379 § 3; 1507 - (?) - 736) - cf. Ch. Dom. 6 (in medio. ~~Exclusum officium~~)

10. Ius necessitates et optata sua patefaciendi sacris Pastori bus (cfr. Const. Lumen gentium, n. 37).

11. Ius libere petendi rescripta a legitima ecclesiastica auctoritate.

12. Ius libere profitendi propriam fidem, sive publice sive privatim, simulque officium alios invitatos non cogendi ad catholicam fidem amplexandam (cfr. CIC, can. 1351; Decl. Dignitatis humanae). A. L. 13 fer in fine)

13. Ius recipiendi formationem doctrinalem et apostolicam unius cuiusque capacitati et condicioni vitae aptatam (cfr. Decl. Dignitatis humanae, n. 14, 3^o et 4^o; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 29; Decr. Ad gentes, n. 26; Const. Lumen gentium, n. 35 in fine; Const. Gaudium et spes, nn. 43, 2^o et ⁶⁰ 62, 7^o; Decl. Gravissimum educationis, n. 10, 2^o).

14. Facultas discendi et docendi scientias sacras, iuxta iuris praescripta (cfr. Const. Gaudium et spes, n. 62, 7^o; Decl. Gravissimum educationis, n. 10, 2^o; Decr. Ad gentes, n. 41, 5^o).

15. Ius ad iustam libertatem inquirendi necnon mentem suam apriendi, sive ore tenus sive in scriptis, in iis de quibus peritia gaudent (cfr. Const. Gaudium et spes, n. 62). Gravissimum educationis, 10, 1.

16. Ius ad cooperandum cum Hierarchia et facultas assumendi officia ecclesiastica condicioni eorum conformia et iuxta normas iuris.

17. Ius ad proprias doctrinas defendendas iuxta limites doctrinae Ecclesiae. §. et Sp. (62)

18. Ius ut non cogantur in proprio statu vitae libere eligendo.

19. Ius, debita cum auctoritate ecclesiastica relatione servata,

18. fructus sancti: ut se nō prement ac premit aliquando, plena eorum libertate exterior et interior, ab Episcopis vocari possint. (P.O. 11. in medio)

- cf. can. 1351 y ab gentes n. 13 fer in fine; D.H. 10;

condendi associationes et conventus habendi (Decr. Apostolicam actuositatem, n. 19; Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 8).

20. Ius ut, si casus ferat, iudicentur a tribunalibus iuxta proceduram ad normam iuris stabilitam.

21. Ius ut audiantur debitoque patrocinio fruantur in processibus iudicialibus ac administrativis quibus afficiantur.

22. Ius ut nulla poena puniantur, nisi praevie poena determinata in norma promulgata statuta fuerit.

23. Ius ad propria iura subiectiva tuenda, via sive administrative sive iudicali. (*cfr. D.H. 1*)

24. Ius coram competenti ecclesiastica auctoritate recurrendi, via sive administrativa sive iudicali, adversus decisiones quae eorum iura personalia laedant.

25. Ius ad cognoscendum nomen denuntiantis, si adversus se accusatio fiat coram ecclesiastica auctoritate.

26. Ius cognoscendi rationes quibus innititur sententia adversus se ab ecclesiastica auctoritate lata.

27. Ius ut agnoscat et servetur secretum correspondentiae. (n. 611)

28. Obligatio vitandi quae fidem in discrimen vocare possunt, iuxta normas Ecclesiae.

29. Ius ad proprium ritum sequendum (cfr. Decr. Orientalium Ecclesiarum, n. 5). *ibid. 4;*

30. Officium debitam reverentiam exhibendi erga Ecclesiae ministros. (*cfr. hanc. Ord. 9. in fine*)

31. Obligatio et ius active participandi in celebrationibus liturgicis (cfr. Const. Sacrosanctum Concilium, nn. 14, 29 et 79).

32. Facultas, immo aliquando et officium, ad suam sententiam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt declarandi (cfr. Const. Lumen gentium, n. 37) (*Dialogus in Ecclesia: f. Et Sp. 9, 2; cfr. C.R. D. 10, 3 (alio mod); 13, 2; 16, 3; 23, 2; O.T.E. 19, 2; A.A. 25; P. Chrysost. 14, 3; A.G. 14; V.R. 9, 14; 22, 3; G.E.M. 11, 1;*)

33. Obligatio agnoscendi aliorum iura canonica et rationem habendi boni communis Ecclesiae. (*cfr. Ch. Dom. 16, 5; Prof. Chor. 14, 3*)


Haec lineamenta iurium et officiorum ad fideles pertinentium lecta et provisorie approbata sunt, scilicet uti basis studii pro de-

liberationibus in alia Coetus sessione habendis. Proponente vero Ill.mo Onclin, opportunum videtur ut in ipsa proxima sessione agatur de iis quae recognoscenda, expungenda vel addenda sunt in legislacione canonica de associationibus fidelium.

His tandem peractis, de quibus in hac sessione Coetus studii "De laicis" agendum erat, precibus de more dictis conventui finis imponitur.

Romae, die 3 decembris anni 1966

Alvarus del Portillo, Relator



A P P E N D I X

(Textus discussi et approbati in adunationibus habitis
a die 28 novembris ad diem 3 decembris anni 1966)

(De notione laicorum)

Canon 1

"In canonibus huius Codicis, nomine laicorum intelleguntur omnes Christifideles qui non sunt, ordine sacro recepto, ad ministerium diuinum deputati, nec in Instituto ab Ecclesia sancito statum religio sum assumpserunt. Qui Christifideles, sive viri sive mulieres, a Deo vocantur ut suo modo, etiam eisdem canonibus determinando, debita cum sacris Pastoribus relatione servata, apostolatum in saeculo exerceant, speciatim in rebus temporalibus gerendis Christi testimonium reddentes."

(Cfr. Const. Lumen gentium, n. 31; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 2 in fine et n. 7; Const. Gaudium et spes, n. 43).

"etiam sicut ... "(no solo por los clérigos se determinan las formas como actuar el laico) .

De iuribus et obligationibus laicorum

(De oboedientia ad sacros Pastores)

transfusus ad statuta

Canon 2

"Laici, sicut omnes christifideles, illa quae sacri Pastores ~~christi~~ tamquam magistri et rectores in Ecclesia docent et statuunt, christiana oboedientia responsabili ~~per voluntariis~~ sectari tenentur."

(Cfr. Const. Lumen gentium, n. 37; Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 9, in fine).

(De iusta libertate in rebus civitatis terrenae)

Canon 3

"Ius est laicis ut ipsis agnoscatur ea in rebus civitatis terrenae libertas quae omnibus competit, iuxta legem divinam ab Ecclesiae magisterio declaratam."

(Cfr. Const. Lumen gentium, n. 37; Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 9; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 24; Const. Gaudium et spes, n. 43).

(De iure ad bona spiritualia)

translitteribus obstatum

Canon 4

"Laici, sicut omnes christifideles, ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et Sacramentorum adiumenta a sacris ministris accipiendi iuxta sacrorum canonum praescripta."

(Cfr. Const. Lumen gentium, n. 37; Const. Sacrosanctum Concilium, n. 19; Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 9; CIC, can. 682).

(De iuvamine praestando Ecclesiae operibus)

Canon 5

"§ 1. Laici sciant sua esse Ecclesiae opera, ideoque eadem pre cibus et sacrificiis, atque pro propria idoneitate inceptis quoque apostolicis sustineant.

§ 2. Officio tenentur, ratione habita uniuscuiusque facultatum et status familiae, curandi ut Ecclesiae praesto sint ea quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem vel remunerationem et ad alios fines eidem ^{eulera} proprios necessaria sunt media."

(Cfr. Decr. Ad gentes, n. 36; Decr. Presbyterorum Ordinis, nn. 20 et 21; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 21; CIC, can. 1496).

L.f. 33

(De obligatione et iure cognoscendi doctrinam christianam)

Canon 6

"§ 1. Laici, quippe qui omnes ad incrementum Regni Christi in mundo cooperari debeant, ut ~~doctrinam~~^{reverentiam} a Christo revelatam et ab Ecclesia declaratam et ipsi enuntiare atque, si opus sit, defendere ~~valeant~~, obligatione tenentur et iure gaudent ad acquirendam eiusdem doctrinae cognitionem, propriae uniuscuiusque capacitati et condicioni aptatam. Quare curare debent ut cognitionem habeant doctrinae ~~et reverentiam~~^{quaes a Ecclesia} Conciliis oecumenicis, a Summis Pontificibus et a propriae Ecclesiae particularis Pastoribus traditur. (cf. L.g. 12)

§ 2. Facultate quoque gaudent ut servatis a iure statutis, pleniores illam in scientiis sacris acquirant cognitionem, quae in Ecclesiasticis Universitatibus facultatibusve aut in scholis scientiarum religiosarum traduntur, ibidem lectiones frequentantes et gradus academicos consequentes.

§ 3. Item, servatis praescriptis quoad idoneitatem requisitam statutis, habiles sunt qui missionem docendi scientias sacras a legitima auctoritate ecclesiastica recipiant."

(Cfr., quoad § 1: Decl. Dignitatis humanae, nn. 14, 3º et 4º; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 29; Decr. Ad gentes, n. 26; Const. Lumen gentium, n. 35 in fine; Const. Gaudium et spes, n. 43, 2º in fine. - Quoad § 2: Const. Gaudium et spes, n. 62, 7º; Decl. Gravissimum educationis, n. 10, 2º. - Quoad § 3: Const. Gaudium et spes, n. 62, 7º; Decr. Ad gentes, n. 41, 5º).

(De laicorum iure optata sua et sententias declarandi)

Canon 7

transfertur

§ 1 Laici ius habent ut necessitates et optata sua, praesertim spiritualia, libere et fidenter sacris Pastoribus patefaciant, ^{et 3º} ~~et insuper,~~ pro scientia et competentia quibus pollut, facultatem, immo et aliquando officium, habent, ut sententiam suam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt debita cum reverentia ac prudentia iisdem Pastoribus, ^{uite in} ~~sunt detinetur~~, servatis modis a iure particulari statutis, ~~declarant~~.

(Cfr. Const. Lumen gentium, n. 37; Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 9; Const. Gaudium et spes, n. 92, 2º; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 6, ult.).

(Laicorum participatio in missione Ecclesiae)

Canon 8

"§ 1. Laici, quippe qui uti omnes christifideles ad apostolatum, i.e. ad participationem missionis salvifica Ecclesiae a Deo per baptismum deputentur, generali obligatione tenentur, sive singulare in associationibus coniuncti, adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur; quae obligatio eo vel magis eos urget iis in adiunctis in quibus nonnisi per ipsos Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt.

§ 2. Peculiari adstringuntur officio rerum temporalium ordinem spiritu evangelico imbuendi atque perficiendi.

§ 3. Praeterea, habiles sunt qui vocentur ut diversis modis cum apostolatu Hierarchiae immediate cooperentur."

(Cfr. quoad § 1: Const. Lumen gentium, n. 33; Decr. Ad gentes, nn. 36, 1^o et 21; Decr. Apostolicam actuositatem, nn. 2 et 3. - quoad § 2: Decr. Apostolicam actuositatem, n. 3; Const. Gaudium et spes, n. 43. - quoad § 3: Const. Lumen gentium, n. 33, 3^o; Decr. Apostolicam actuositatem, nn. 10 et 24, 6^o).

(Laicorum cooperatio cum sacris Pastoribus)

Canon 9

"§ 1. Laici, debita scientia, experientia et virtute praestantes, habiles sunt qui tamquam periti aut consiliarii ab Ecclesiae Pastoribus audiantur.

§ 2. Habiles etiam sunt ut ad quaedam munera ecclesiastica a sacris Pastoribus adsumantur, in specie ut in consiliis paroecialibus, diocesanis, nationalibus, regionalibus aut universalibus partem habeant, ad normam iuris universalis aut particularis."

(Cfr., quoad § 1: Const. Lumen gentium, n. 33. - quoad § 2: Const. Lumen gentium, n. 33, 3^o; Decr. Christus Dominus, n. 10; Decr. Apostolicam actuositatem, p. 24, 7^o).

(Laicorum libertas in inquisitione scientifica)

Canon 10

*transfendis
ab statutum*

"Laici, sicuti omnes christifideles, qui sacris disciplinis studendi incumbunt, facultate gaudent, ut ~~debita adhibita prudentia~~ et propriis singularum disciplinarum principiis ac methodo servatis, de quaestionibus ad scientias sacras vel cum sacris connexas pertinentibus libere inquisitionem instituant, utque conclusiones ad quas deveniunt ~~debita cum prudenter et diligenter erga nullum magistrum obsequio,~~ cum sacris Pastoribus communicent."

(Cfr. Const. Gaudium et spes, n. 62, ult.; Decl. Gravissimum educationis, nn. 10 et 11; Decr. Unitatis redintegratio, n. 11, 3º).

(Laicorum participatio in celebrationibus liturgicis)

Canon 11

*(Rit rubetu, et presertim pro absentibus in rationib.
matrimonio iunctis)*

"§ 1. Ipsi baptismatis ratione, laici, sicut omnes christifideles, officium et ius habent ut plene, conscientie et actuose in celebrationibus liturgicis participant,~~atque facultate possident ut~~ muneribus ministrantis, lectoris, commentatoris, cantoris, aliisve certis ministeriis, ad normam iuris, ~~furgant~~ tungentes.

§ 2. Ubi Ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat, possunt etiam, deficientibus sacris ministris, quaedam eorundem officia supplerre, videlicet doctrinam tradere, precibus praeesse, baptismum conferre atque Sacram Communionem distribuere, iuxta iuris universalis et particularis praescripta."

(Cfr., quoad § 1: Const. Sacrosanctum Concilium, nn. 14, 29, 79 in fine. - quoad § 2: Const. Lumen gentium, n. 35 ult., Decr. Ad gentes, n. 17 ult.; Const. Sacrosanctum Concilium, n. 35, 4º).

(De laicis speciali servitio Ecclesiae addictis)

Canon 12

"Laici, sive coelibes sive matrimonio iuncti qui, aut permanenter aut pro tempore speciali Ecclesiae servitio addicuntur, obliga-

tione tenentur ut aptam acquirant formationem ad munus suum debite implendum requisitam, utque hoc munus conscie, impense ac diligenter adimpleant; ius habent ad honestam remunerationem eorum conditioni aptatam, qua decenter, servatis quoque iuris civilis praescriptis, necessitatibus propriis ac familiae providere valeant, itemque ius ut ~~sunt~~ praevidentiae ac praecaventiae sociali ac adsistentiae sanitariae quam dicunt debite provideatur."

(Cfr. Decr. Apostolicam actuositatem, n. 22; Decr. Ad gentes, n. 17).

Romae, die 3 decembris 1966

Alvarus del Portillo, Relator

PATRIMONIO UC